



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

43. An quando aliquis non vi, vel fraude illata, sed solum per
subornationem, preces, & munera, quæ Electoribus confert, impedit, ne
quis eligatur ad beneficium, &c. possit ille pretio redimere hanc ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XLIII.

An quando aliquis *monachus*, vel fraude illata, sed solum per subornationem, preces, & munera quæ Electoribus, confert, impedit, ne quis eligatur ad beneficium, &c. possit ille pretio redimere hanc vexationem, etiam dando pecuniam non solum tertie personæ, sed etiam uni ex Electoribus, ne subornet alios, &c.

Et an sit simonia redimere pretio talem vexationem? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 2.

Sup. hoc sup.
in Ref. 36 §.
Probatur
tercio.

§. 1. Negativam sententiam docet Sotus de Inst. lib. 9. q. 6. art. 1. ad 5. quem sequitur Moscosus in sum. tract. 15. c. 15. num. 4. ubi sic ait. [Si estos impedimentos no se ponen con violencia, ni engaño, sino con ruegos, y sobornos, aunque algunos autores dicen, que tambien se puede redimir esta vexacion con dineros; Soto dize que no, y me contenta su opinion, porque este daño no es contra justicia, sino contra caridad, y à semejantes ruegos, acudir se deve con otros, y no con dineros.] Sic ille.

2. Sed affirmativam sententiam probabiliorum esse existimo, quam ex Atagonio tuetur Villalobos in sum. tom. 1. tract. 37. diff. 10. num. 3. ubi sic asserit. [Quando uno impide à otro que consiga el beneficio, que justamente pide, no por fuerza y engaño, sino subornado por precio y ruegos, sería lícito redimir aquella vexacion, dándole dineros para que desista del suborno, porque como aquel ambicioso puede dañar, y no aprovechar, el darle dineros no es comprar el beneficio, sino redimir la vexacion, y así es lícito.] Hæc ille. Et ita hanc sententiam novissimè docet Sanch in opusc. 10. 1. lib. 2. c. 3. dub. 30. n. 5. ubi ait. Licet aliqui dicant licere redimere vexationem, quando aliquis vi illata impeditur, secus quando impeditur meam electionem per subornationem, & munera, quæ electoribus conferret, ne me eligeret, tunc enim non liceret pretio redimere vexationem. Alij verò hoc admittunt quando impediens potest obesse, non tamen prodesse secundum jus: si verò possit etiam prodesse, dicunt esse simoniam. At satis probabile est, non esse simoniam pretio redimere talem vexationem, licet impediens per subornationem possit etiam prodesse. Ita Sanchez quod est valde notandum. Nam ex hoc sequitur me ad redimendam vexationem posse dare pecuniam non solum tertie personæ, sed etiam uni ex electoribus, ne subornet alios, dummodò non dem, ut pro me suffragetur; licet hoc ultimum de electore qui potest prodesse neget, Sylvius in 2. 2. quest. 107. art. 2. concl. 3. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 17. Malderus in 2. 2. tract. 9. cap. 3. dub. 17. & alij sed sententia Sanch. est etiam probabilis.

Sup. hoc in
Ref. not. 1.
huius Ref. &
in eodem §.
in princ. &
in fine.

3. Non definam tamen hic pro curiosis adnotare Gregorium de Valentia, insignem Theologum Societ. Jesu, in 2. 2. D. Thom. disp. 69. q. 16. punct. 3. reicere illam distinctionem, quam afferunt Doctores de vexatione ante jus acquisitum, vel post jus acquisitum, & existimat utroque modo licere redimere vexationem in beneficiis, & aliis spiritualibus. Vnde docet, quod in foro conscientie nihil obstat, quominus possit vexatio redimi licite, etiam ante jus acquisitum. Verum hæc opinio refellitur à Raphaële de la Torre in 2. 2. tom. 2. quest. 100. art. 4. disp. 9.

RESOL. XLIV.

An si Responsor casus conscientie, recipiat pecuniam propter consilium requisitum à petente ad pacandum conscientiam, & in illius foro sit simoniacus? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 4.

§. 1. Hic casus potest frequenter accidere, & affirmativam sententiam docet Moscosus in sum. tract. 15. c. 2. n. 2. ubi sic asserit. [La Theologia perficiona el entendimiento con verdades sobrenaturales, facadas de las entrañas de la divina Escritura, importantes para ganar las almas al Cielo. Y así quando un Theologo es consultado de algun calo de conciencia por algun hombre affigido, que no sabe que hazerle para assegurar su alma, y conciencia, como cada passo acontee, atento que este consejo espiritual guiado al bien sobrenatural, no es precio estimable, es clara simonia llevar dineros por el.] Ita ille, & ante illum Villalobos in sum. tom. 2. tract. 37. diff. 8. num. 2. ubi sic ait. [Todas las vezes que uno pide al Theologo la resolucion de alguna duda para saber la, o para seguir su justicia en el fuero exterior, puede recebir precio por la tal resolucion sin pecado de simonia. Mas no si la pide para quietar su conciencia, y comunmente à los Theologos se les preguntan estas resoluciones en orden al fuero de la conciencia, por laqual non pueden llevar precio.] Hæc Villalobos. Et hanc sententiam ex Thomistis docet Ledefma in sum. part. 2. tract. 12. diff. 2. post tertiam conclusionem, & fusè Raphaël de la Torre in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. quest. 100. art. 2. 3. & 5. disp. 5. & ex Theologis Societatis Jesu hoc etiam tenet Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 5. 7. & 8. Vide etiam Turrianum in sum. part. 1. cap. 204. dub. 5. num. 3. & Malderum in 2. 2. Divi Thomæ, tract. 9. cap. 3. dub. 8.

2. Sed his non obstantibus docet Suarez de Religionem, tom. 1. lib. 4. cap. 18. n. 19. tale consilium, si sit in pura instructione intellectus, non esse materiam simoniae, etiam si ab interrogante petatur ad pacandam conscientiam suam, vel ad dirigendam illam; sed cùs verò si fiat per modum exhortationis, ita ut æquivalet veluti privatae concioni. Nam tunc eadem ratio est publicæ, vel privæ concionis, sicut eadem ratio est de concione, quam tres audiunt, vel quæ coram copioso populo fit. Ita Suarez. Sed respondet casum conscientie ferè semper, ut patet, præbere consilium pro instructione intellectus, & non ita ut illa instructio æquivalet privatae concioni. Ergo, &c. Rationes verò, quas pro hac firmanda sententia adducit Suarez, videbis penes illum. Vnde puto hac sententiam esse probabilem quam præter Suarez tenet etiam Paulus Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. ult. §. 4. n. 32. in fine, ubi sic ait. Pro responso seu consilio morali metes accipi potest, quia per se, ac directè doctoralis aliqua instructio est; licet per accidens, & consequenter interserviat ad pacandam conscientiam. Ita ille. Et tandem hæc etiam opinionem docet Filiucius in 2. 2. cap. 4. n. 31. quibus ego libenter adharco.

RESOL. XLV.

An Cancellarius Episcopi possit ratione laboris sumere aliquid pro licentia audiendi confessiones & concionandi, &c. Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 70.

§. 1. Respondeo negativè, quod alicubi non rectè observatur, & ita docuisse sacram Congregationem Cardinalium die 16. Julij 1591. testatur Gavantus in ench. Episc. ver. licentia, n. 3. ubi sic ait: Licentia sedendi, audiendi confessiones, concionandi, & ministrandi Sacramenta, denitur gratis. Sic ille, quod etiam ex alia declaratione in una Apruntina, teste Aldano, loquitur Barbosa in Collectan. Doct. ad Concl. Trident. sess. 23. c. 15. n. 57. ubi asserit Cancellario Episcopi nullo pacto licere etiam in vim taxæ antiquæ pro approbatione ad confessiones audiendas, quam hoc decretum gratis dandi mandavit, quicquam exigere. Et tandem pro hoc casu